

gram eis: qui comederunt. & superfuit iuxta verbum domini. Nul-
lum sensibile instrumentum apposuit Elifæus ad multiplicā-
dum hos panes nisi diuinum verbum, vt cognoscamus diui-
nam virtutem operati miracula prout vult.

CAPVT V.



NAhaman autem princeps militiae regis Syriae erat vis
magnus corā domino suo & honoratus. Hebraice ha-
betur. & eleuatus facie. non solum magnus apud
regem suum, sed etiam excellens secundum se-
ipsum narrat. Et vtriusque ratio subditur salus Syriae ab ho-
stibus per eū à Deo data, per illum enim dederat dominus salutem
Syriae: eratq; vir fortis & diues. Hebraice nō habetur diues, sed,
& vir fuit potens fortitudine leprosus. Fortitudo tā animi quā
corporis describitur simul cū lepra. Porro de Syria egressi fue-
rant latrunculi. Hebraice habetur. associati. Nō male interpre-
s antiquus intellexit latrunculos, pro quanto proculdubio si-
gnificantur associati viri ad prādandum: hoc est excursions
faciendas in terras hostium. & captiuam duxerāt de terra Israel
puellam paruum: quae erat in obsequio vxoris Nahaman. Dixitq; e
ad dominam suam: vti nam dominus meus esset coram propheta qui
est in Someron, profecto. Parui refert quod Hebraice habetur.
tunc curaret eum à lepra sua. sonāt enim verba puellae quod sta-
tim curaretur à propheta. Ingressus est itaque Nahaman ad
dominum suum, & nunciauit ei dicendo: sic & sic locuta est puella
quae est de terra Israel. Dixitque rex Syria, vade, & mittam. He-
braice habetur. vade, veni & mittam literas ad regem Israel. hoc
est dispone te ad iter & redi ad me & mittam literas. & pro-
fectus est. & tulit secum decem talenta argenti & sex millia aureo-
rum, & decē mutatoria vestimenta. Et detulit literas ad regem Is-
rael in haec verba: cum acceperis epistolam hanc, scito quod misi ad
te Nahaman seruum meum vt cures eum à lepra sua. Executio scri-
bitur simul cū praparatis & rebus & literis. Cūq; legisset rex
Israel literas, scidit vestimenta sua, ob verba sonātia blasphemias:
vt pote petēdo ab homine id quod solus deus prestare potest.
& ait, an ego sum deus. Nomē est Elohim: sed de vero Deo se
loqui manifestat subiungēdo opera propria summo Deo. vt
occidere possim & viuificare. quod hebraice habetur. ad mortifi-
candum & viuificandum. solius enim summi Dei est ad libitū
mortificare & viuificare, qui solus est dominus vitæ & mor-
tis

tis. quod iste mittit ad me ad curandum virum à lepra sua? ideo sci-
tore quæso & videte quod occasionem querat contra me.

Et fuit cum audisset Elifab vir Dei quod scidisset rex Israel vesti-
menta sua, misit ad regem dicendo: cur scidisti vestimenta tua? vniat
quæso ad me, & sciat prophetiam esse in Israel. Rex Israel ad ver-
ba attendit: Elifæus autem attendit ad sensum verborum &
ideo dixit, quare scidisti vestimenta tua tanquā nō esset pro-
pheta in Israel à quo possit miraculū huius sanitatis haberi?
non enim rex Syriae petebat vt rex Israel per seipsum sanita-
tem redderet Nahaman, sed per prophetam quae puella dixe-
rat. Venit ergo Nahaman cū equis suis & curru suo: & stetit ad por-
tam domus Elifab, Misitq; ad eum Elifab nuncium dicendo. Cerne
in quanta deus prophetā suum autoritate seruat, vt inspira-
uerit eum ad nō egrediendū, sed ad mittendū nunciū veni-
entem ad se principi. vade & lauare septies in Iarden, & reuerie-
tur caro tua tibi & mundabitur. Numero cōsecrato in lege Mo-
sis vtendum inspirauit deus, in testimonium veritatis legis à
Deo datæ Moysi. Iratusque est Nahaman & abiuit, & dixit: puta-
bam quod egrediendo egredieretur ad me, & stans inuocaret nomen
domini Dei sui, & tangeret manu sua locū leprae & curaret me. Nōne
meliores sunt amana & parpar fluuii damaici omnibus aquis Isra-
el? nōne lauabor in eis & mundabor? veritque se & abiuit in ira.
Ipsemet testificatur quod non ex qualitate aquarū Iordanis
mundari poterat. Accesserunt autem serui eius, & locuti sunt ad eū
atque dixerunt: pater. Hebraicē habetur. pater mi. Honorabile
nomen patris apud prisicos fuisse hinc patet. si rem grandē pro-
pheta dixisset tibi, certe facere debueras. Parui refert quod he-
braice habetur. nōne fecisse? sententia enim in idem redit.
quanto magis cum dixit tibi, lauare & mundaberis? Descendit igitur
& lauit se in Iarden septem vicibus iuxta sermonem viri Dei:
& reuersa est caro eius sicut caro pueri parui, & mundatus est.

Reuersusque est ad virum Dei cum toto comitatu suo: & venit
& stetit coram eo & dixit, vere scio quod non sit deus alius in tota
terra: nisi tantum in Israel. Hebraicē habetur. ecce nunc noui
quod non Elohim in tota terra nisi in Israel. Curatus est non so-
lum in corpore, sed etiam in animo: agnouit & professus est
non solum Deum Israelis esse verum Deum, sed etiam esse
solum Deum & omnes deos gentium non esse deos: nunc igitur
tolle quæso benedictionem à seruo tuo. Munera appellat bene-
dictionē, eo quod non vt merces, sed loco gratiarum actionis

Nn iij prodibant

nuflexio obsequii secundum se non sit mala, speciem tamen mali præ se fert ratione loci & temporis, nisi persona cognita sit exempta ab idolatria. nam si persona obsequens ibi tunc similis alius habetur, genuflexio eius quantuncumque ex propria intentione non sit mala, occasionem tamen præsentibus dat existimandi quod ipse facit sicut alii genuflectentes idolo. si vero persona nota esset aliena ab idolatria, cessaret species mali: & consequenter ratio scandali seu existimationis quod ipse genuflecteret idolo. Et quia Nahaman & verbo & facto (ædificando summo deo altare illi; sacrificando, & profitendo ipsum solum esse Elohim) publicabat se alienum esse ab idolatria, ideo obsequium quod præstabat regi in templo Rimmon adorati, nec in se erat malum nec habebat speciem mali, & propterea Elisæus non dixit ei hoc esse peccatum, nec affirmavit ignoscendum à Deo: sed dixit vade in pace. ipse autem Nahaman more bonarum mentium timebat culpam: & propterea petiit sibi ignosci non imputando ad culpam, abiitque ab eo electo tempore. Iuxta Hebræum habetur: *prandio terre.* hoc est abiit per tantum terræ spatium quantum itur vsque ad prandium, vel quantum itur durate prandio. narratur enim quod non longe aberat quando Ghezi minister Elisæi venit ad eum. hic enim locus describitur prius: & deinde narratur aduentus Ghezi ad eum, inchoando à cogitatione ipsius Ghezi.

Dixit autem Ghechazi puer viri dei: ecce pepercit dominus mentem Nahaman Syro huic non accipiendo de manu eius quæ attulit, vivit dominus si non curram post eum & accipiam ab eo aliquid. Et secutus est Ghechazi post Nahamam: viditque eum Nahaman currētem post se, & desiluit de curru in occursum eius. ex reverentia Elisæi. et ait, recte sunt omnia? Et ille ait, recte. Hebraicè habet. *nū pax?* Et dixit, pax. Modus est loquendi Hebræorū & ut hinc habetur Syrorū, dominus meus misit me dicendo: ecce modo venerunt ad me duo pueri de monte Ephraim ex filiis prophetarū, da quæso eis talentum argenti & vestes mutatorias duplices. Heb. habet. *duas.* Vide quot finxerit avaritia istius ministri. Dixitque Nahaman, melius est ut accipias duo talenta. Hebraicè habet. *velū tolle duo talenta.* Vtrūque verbū est imperatiui modi. precatur enim ut non unū, sed duo & velit & tollat talenta argenti. & coegit eum. Simulantem Ghezi nolle duo talenta, sed unum, Nahaman coegit ad accipiendum duo ex magnitudine deuotionis suæ ad prophetam

tam Dei. *ligavitque duo talenta argenti in duobus sacculis & duo mutatoria vestimenta, & imposuit duobus pueris suis. hoc est ipsius Nahaman. & portauerunt ante eum. Cuiusque venisset iam vesperi. Iuxta heb. habet. Et venit ad locū celsum. & tulit de manu eorum & deposuit in domo.* Nescio quis locus excelsus qui etiā munimè quoddam dicitur, narratur terminus ad quē venit Ghezi & in quo posuit res delatas à famulis Nahaman. non enim in domū Elisæi intulit illas, sed in domum quandā illius loci excelsi. Crediderim ego fixisse Ghezi quod in loco illo hospitabatur filii prophetarum, & propterea illuc vehendas esse res illas. & forte secundum veritatem locus excelsus erat in quo etiam habitabant filii prophetarum qui erant in Samaria. *dimisitque viros & abierunt.*

Ipse autem ingressus est, & stetit ante domum suam. Hinc apparet quod non in domo Elisæi recondidit res. Dixitque ei Elisah, *unde venis Ghechazi?* Ab itinere incipit discutere ut convincat eum. qui respondit, non iuit seruus tuus quocumque. At ille ait ad eum: *nonne cor meum in presenti erat quando reuersus est homo de curru suo.* Parui refert quod iuxta Hebræum habetur. *nonne cor meum iuit quando vertis se vir de curru suo in occursum tuum.* Affirmat propheta internam sui partem iuisse: hoc est instar euntis spiritualiter attingisse mentis oculis gesta inter Nahaman & Ghezi. & hoc manifestat narrando actum quem fecerat Nahaman occurrendo Ghezi: ex hoc enim conuicit eum. *nunc igitur accepisti argentum & accepisti vestes ut emas oliueta & vineas & oves et boues & seruos & ancillas.* Iuxta Hebræum habetur. *an tempus ad accipiendum argentum & ad accipiendum vestes.* Conuictio Ghezi ex narrato tam occursum quam modo occurrendi, arguit eum quod acceperit argentum & vestes: arguit autem à tempore, dicendo num tempus ad tollendum &c. Et manifestat per hoc quod tempore quo ipse Elisæus volebat accipi oblata, nec ipse Ghezi accipere poterat. Et dicit hoc ad differentiam aliorum temporum quibus Elisæus annuebat ut tollerentur oblata. *ut emas oliueta.* Interpres pro claritate addidit ut emas: nam hebraicè immediate sequitur. *& oliuas & vineas & oves & boues, & seruos & ancillas.* postquam enim arguit eum de acceptione, arguit etiam de intentione: quod non pro filiis prophetarum acceperit, sed pro oliuetis, vineis &c. *Et lepra Nahaman adhaerebit tibi & semini tuo in sempiternum.* Post reprehensionem adiungitur

adiungitur punitio terribilis: & tanto maior quanto diuina
 auctoritate extēsa ad semen eius in sempiternum seu in se-
 culum est. *egressusque est à facie eius leprosus sicut nix.* Vide diui-
 nam iustitiam, statim efficientem quod propheta dixit.

CAPVT VI.

Iecerunt autem filij prophetarum ad Elisah: ecce quaso
 locus in quo habitamus coram te, angustus est nobis. *Ea-
 mus.* Hebraicè habetur. *Ibimus quaso vsque ad Iar-
 den.* de seipsis enim loquuntur, petendo vt ire eis
 liceat. & tollant singuli de sylvā materias singulas. Hebraicè ha-
 betur. & tollemus inde quilibet trabem vnā. Sentētia clara est.
 & faciemus nobis ibi locum ad habitandum. Deficit ibi. Propo-
 nunt se ædificaturos ibi (hoc est iuxta Iordanem) locum ca-
 pacem ad habitandum ibi. & dixit, *ite.* Et ait vnus, *veni ergo &
 tu cum seruis tuis.* Hebraicè habetur. *velis obsecro & veni cū ser-
 uis tuis.* Supplex loquitur bonus discipulus. & dixit, *ego veniā.*
 Et abiit cum eis: veneruntque ad Iarden, & sciderunt ligna. Accidit
 autem cum vnus materiam succidisset. Hebraicè habetur. Et fuit
 vnus cadere faciens trabem, & ferrum securis cecidit in aquam. Su-
 perfluit securis: non fit mentio formæ instrumenti ferrei. *ex-
 clamauitque ille & dixit, heu heu heu.* Hebraicè semel tantum
 habetur. *heu (seu ve) domine mi.* Dolentis est. & ipsum mutuo
 acceperam. Dixit autem vir Dei, *vbi cecidit?* at ille monstrauit
 ei locum: *præcidit ergo lignum & proiecit illuc, & natauit ferrum.*
 Ecce manifestum miraculum, propter quod narrata est hæc
 historia. Et ait, *tolle: extenditq; manum suam, & tulit illud.*

Rex autem Syria pugnabat contra Israel: consiliūque iniecit
 cum seruis suis dicendo, in loco illo & illo ponamus insidias.
 Iuxta Hebræum habetur. *ad locum occultum mutum māsio meā.*
 Insidiat significantur nomine mansionis. concludebat siqui-
 dem in secreto consilio rex mittēdos aliquos milites ad cer-
 tum locum tum occultum hostibus tum mutum: hoc est tum
 occultè tum cum silentio, vt ex improviso caperet hostes.

Misit itaque vir Dei ad regem Israel dicendo: *caue ne transeas ad
 locū illum, quia ibi Syri in insidiis sunt.* Hebraicè habet. *quia illuc
 Aramei descendentes.* Non dicit Syros ibi esse, sed illuc descen-
 dere. Misit itaque rex Israel ad locum quem dixerat ei vir Dei &
 præoccupauit eum. Iuxta Hebræum habetur. & sollicitabunt eum.
 Missi à rege sollicitè instantes ad vidēdum si Syri veniūt ad
 locum significatum ab Elisæo narrantur. & futurum tempus
 refertur

refertur ad missionem regis. & obseruauit se ibi. Legendum
 esset. & custodietur ibi nō semel & non bis. Effectus describitur:
 quōd videlicet rex tam in se quā in suis ex huiusmodi re-
 uelatione Elisæi custoditus est ab insidiis in illis locis nō se-
 mel aut bis, sed sæpe, & futurum custodietur, refertur ad re-
 uelationem Elisæi.

Et conturbatum est cor regis Syria propter hanc rem: *vocauitque
 seruos suos & ait eis, quare non indicatis mihi quis proditor mei sit
 apud regem Israel?* Sententia recte redditur: *quanuis Hebraicè
 vērba breuiora sūt.* Dixitque vnus seruorum eius: *non domine mi
 rex, sed Elisah propheta qui est in Israel, indicat regi Israel verba
 qua locutus fueris in conclauis tuo.* Hebraicè habetur. *in aula: cu-
 bilis tui.* hoc est in secretissimo loco tuo. Dixitque, *ite & videte
 vbi sit, & mittam & capiam eum: nunciatiōque est ei dicendo, ec-
 ce est in Dothaim.* Hebraicè habetur. *in Dothan.* Nomen est ci-
 uitatis, vt subiuncta testantur. Misit ergo illuc equos & currus &
 robur exercitus: *veneruntque nocte, & circumdederunt ciuitatem.*

Surrexit autem diluculo minister viri Dei, *egressusque est & vi-
 dit exercitū in circumitu ciuitatis.* Iuxta Hebræum habetur. &
egressus est, & ecce exercitus circumdans ciuitatem & equi & currus.
 Non dicitur quōd egressus viderit exercitū: sed tacetur mo-
 dus quo nouit exercitum adesse. Incertum est enim an exie-
 rit è ciuitate existente in loco eminenti & viderit inferius ex-
 ercitus circumdantem, an exierit ab aula ad locum sub diuo
 & apparuerit exercitus circumdans ciuitatem. Dixitq; ei puer
 eius, *heu heu heu domine mi.* Hebraicè habetur semel tantum
 heu, vt superius. *quid faciemus?* Hebraicè habetur. *quomodo fac-
 ciemus?* oblesit vt euadamus. Et dixit, *noli timere.* Et hic quoque
 interpres addidit noli: Hebraicè enim habetur, *non timebit
 quia plures qui nobiscū quā qui cum eis.* Ex quibus Elisæi ver-
 bis apparet quōd ipse Elisæus vidit multitudinem custodi-
 entium ipsum quam minister eius non videbat. *Cūque orasset.*
 Legendum est. Et orauit Elisah & dixit. *ad consolandum mi-
 nistrum suum. domine aperi quaso oculos eius.* non corporis, sed
 interni sensus. & *videat.* multitudinem quā ego video, si vi-
 sio hæc fuit imaginaria: vel aperi oculos, hoc est ad instar a-
 perientis oculos concede vt iste videat corporeis oculis mul-
 titudinem quam ego video. Et hic sensus quadrat contextui:
 nam Elisæus multitudinē apparentem sibi petit videri etiam
 à puero suo, ita quōd vnū & idem visibile videatur ab vtro-
 que.

que. quod non saluaretur in visione imaginaria, sed in visione corporali: quoniam visibile oculis corporeis vnum & idem est apud diuersos videntes: imaginabile autem cum intus in imaginatione sit, diuersum est apud diuersos. & aperuit dominus oculos pueri, & vidit & ecce mons plenus equorum & currum igneorum in circumitu Elisah. Ex eo quod fit mentio montis, & describuntur in circumitu Elisah equi & currus, insinuat quod mons ille in quo erat Elisæus apparuit plenus equis & curribus igneis: non quod essent vere ignei, sed in similitudinem ignis, quemadmodum currus & equi apparentes in raptu Elæ. & erant non res ignis currus aut equorum, sed similitudines eorum, quæ admodum similitudines rerum apparentes in speculis: & propterea erant visibiles corporeis oculis, non ab omnibus, sed ab iis quibus apparebāt. Præuidit autem Deus hanc apparitionem ad securitatem Elisah & ministri eius, significando per hanc angelicam custodiam longe potentiorum hostibus circumdantibus ciuitatem. Hostes vero descendunt ad eum. Hebraicè habetur. Et descenderunt ad eum. proculdubio exercitum Syrorum Elisæus & puer eius iam securi orauit que Elisah ad dominum & ait, percutite quæso gētem hanc cæcitate. non quo ad actum videndi, sed quo ad actum iudicandi: vt videlicet videndo non discernerent quo irent & quis eos duceret. & percussit eos ne viderent. Legendum est. cæcitate iuxta verbum Elisah. hoc est non cæcitate absolute, sed cæcitate petita ab Elisæo. Et scito quod prius orauit Elisæus pro huiusmodi cæcitate & obtinuit gratiam, & postea descendit ad eos: quæuis scribatur prius descensus quàm ratio descendendi. Dixit autem ad eos Elisah: non est hæc via. nec est hæc ciuitas. Sciens eos iam huiusmodi cæcitate percussos, dicit non est hæc via. descenderat enim ad eos circumdantes ciuitatem: & propterea existentes adhuc in via. Nec mentitus est: quia vere non erat illa via qua eundem illis erat ad inueniendum Elisæum notum eis: & similiter non erat illa ciuitas in qua inueniendus erat Elisæus quem quærebant. Secundum enim sensum hunc Elisæum locutum fuisse, testantur subiuncta ipsius verba. sequimini me & ostendam vobis virum quem queritis. Hebraicè habetur. venite post me & ducam vos ad virum quem queritis. Et in hoc amicum se præbuit eis, manifestans se scire quem quærent. Nec decepit eos: quoniam vere duxit eos ad virum quæsitum, seipsum videlicet cognoscendum in Samaria.

& duxit eos in Someron. Cùmque ingressi fuissent Someron, dixit Elisah, domine aperi oculos istorum. similiter non quo ad videndum (venerant enim apertis oculis) sed quo ad discernendum vbi sunt &c. & videant: aperuitque dominus oculos eorum, & viderunt se esse in medio Someron.

Dixitque rex Israel ad Elisah cum vidisset eos, an percutiam eos pater mi? Hebraicè repetitur. percutiam, ad significandum percussorem omnium. Reuerentiaque regis erga Elisæum comendatur ex eo quod appellabat Elisæum patrem suum. & merito, quia curam regis habebat tanquam pater: vt supra scripta testantur. Et ait: non percuties, neque enim cepisti eos gladio tuo aut arcu tuo vt percutias. Hebraicè habetur. an quos tulisti in gladio tuo & in arcu tuo tu percutiens? quasi dicat non es percussor captos à te, percutere tibi liceret si in arcu & gladio tuo istos cepisses. pone panem & aquam, hoc est cibum & potum. coram eis, & comedam & bibam & vadam ad dominum suum. Apparuitque eis apparatus magnum & comederunt & biberunt, & dimisit eos & abierunt ad dominum suum: & ultra non venerunt latrones Syria. Hebraicè habetur. societatem Aram in terram Israel. vt etiam superius dictum est. non enim proprie latrones, sed cæcus hostium tanquam ad excursions faciendas significantur. Et hinc apparet fructus officij Elisah subsecutus etiã apud hostes.

Et fuit post hæc, congregauit Ben hadad rex Syria totum exercitum suum: ascenditque & obsedit Someron. Hinc habetur quæ gesta prænarrata fuerunt tempore Benhadad regis Syria & Ioram regis Israel. nam Elias vsque ad mortem Ochozia regis cui successit Ioram, fuit inter homines & Elisæus erat minister illius. Factaque est fames magna in Someron, & ecce obsidebant eam: donec venundaretur caput asini octoginta argenteis, & quarta pars Cab stercore columbarum quinque argenteis. Nomen mensuræ est Cab. stercus autem columbarum non pro cibo, sed pro igne emebatur ob penuriam lignorum.

Cùmque rex Israel transiret per murum, mulier exclamauit ad eum dicendo. salua me domine mi rex. Qui ait, non te saluet dominus. Irati verba sunt imprecatoriæ mali, eo quod petebatur ab eo quod dare non poterat, putabat enim peti subsidium: & conscius penuriæ & impotentiæ suæ excauidit dicens, non te saluet Iehouah. Et quasi iustificans iram suam, subiungit penuriam ac impo-

impotentiam suam. unde te saluabo, an de area vel de torculari?
 Dixitque ei rex, quid tibi est? quae respondit: mulier haec dixit mihi, da
 panem tuum & comedamus eum hodie & filium meum comedemus
 cras. Coximusque filium meum & comedimus eum: dixi autem ei die
 altera, da filium tuum & comedamus eum, & abscondit filium suum.
 Quod cum audisset rex, scidit vestimenta sua, excrando facinus
 tam durum, & ipse trāsibat super murum: viditque populus cilicium
 quo vestitus erat ad carnem intrinsecus. Ecce fructus Elisæi in
 rege: affligebat siquidem se rex cilicio instructus ab Elisæo.
 Nec refert quod Hebraicè scribitur, *saccum* in idem enim re-
 dit sententia: quoniam ad carnem sacco utebatur pro affli-
 ctione pœnitentia in tanta eorum penuria & obsidione rex
 ipse ad placandum Deum. Et ait rex: *hac faciat mihi Deus &*
hac addat. Nomen est *elohim*, & est modus iurandi per im-
 precationem mali sibiipsi, *si steterit caput Elisah filij Saphat su-*
per eum hodie. Hinc innuitur quod Elisæo suadente rex suffe-
 rebat obsidionem expectando Dei gratiam: ob hoc enim re-
 iecit causam in Elisæum, & furibūdus iurat se ablatorum ca-
 put Elisæi.

Elisah autem sedebat in domo sua, & senes sedebāt cum eo. Qui
 qualēve fuerint senes isti, certum non est: sed ipse confessus
 attestatur viros graues deūque timentes fuisse, *promisitque*
rex virum, ad præcidendum caput Elisæi, tantus fuit furor in
 rege. & *antequam veniret nuncius ad eum, dixit ad senes*, Elisæus
 diuinitus illustratus manens in domo vidit quæ aduersus ip-
 sum mandauit rex, & manifestauit senibus, *numquid scitis*. He-
 braicè habetur, *num vidistis*. Et hinc quoque innuitur quod
 viri spirituales erant senes isti: alioquin non dixisset ad eos
 Elisæus *num vidistis*, quod *miserit filius homicidæ huc*. Legen-
 dum esset, quod *miserit filius homicidæ iste*. Ioram regem demon-
 strat nominando eū filium homicidæ: quia erat filius Ach' ab
 qui homicidium commiserat occidendo Naboth, vt Elias in
 faciem illi dixerat. Aptè quoque nominat ipsum filium ho-
 micidæ, quia in hac actione imitatus est patrem homicidam,
vt præcidatur caput meum. Hinc apparet quod nuncius ille ad
 præcidendum caput Elisæi missus erat. *videte ergo cum venerit*
nuncius, claudite ostium & non sinatis introire eum: ecce enim soni-
tus pedum domini eius post eum est. Vt intrepidè obfisterent nū-
 cio regis, prædicat eis quod rex sequitur nuncium suum pœ-
 nitēs quod *miserit eum*, ideo enim rex sequebatur nuncium,
 quia

quia pœnituerat eum præcepisse vt præcideretur caput Eli-
 sæi. rediit enim ad seipsum, & personaliter venit ad que-
 rēndam proponendam coram Elisæo. Adhuc illo loquente cum eo ap-
 paruit nuncius qui descendeat ad eum: & ait, non nuncius, sed
 rex. ecce tantum malum à domino est, quid amplius expectabo à do-
 mino? Hebraicè habetur, ecce istud malum à eum Iehouah, quid
 sperabo ad Iehouah amplius? Malum istud demonstrat tantam
 penuriam vt matres comedant filios: & reicit malum hoc in
 esse cum summo Deo tanquam in causam, eo quod Elisæi
 consilio rex sustinebat obsidionem expectando Dei opem. &
 propterea subiungit tanquam desperans, quid amplius spe-
 rabo ad Iehouah? Hinc enim manifeste patet quod hætenus
 sperauerat in summo Deo: & videns tantum malum, tanquam
 nihil boni superfit, perdita vita hominum, dicit quid amplius
 sperabo ad Iehouah? hoc est summum Deum.

CAPVT VII.

Dixit autē Elisah, audite verbū domini: sic dixit dominus,
 in tempore hoc eras modius simile in statera vno erit, &
 duo modij ordei in statera vno in porta Somerō. Nec no-
 mē modij nec nomē stateris pōderādū est: quoniam
 Hebraicè mētura quædā & quoddā pondus significantur. Et
 simile nomine florē farinæ intellige: hoc est farinam optimā.
 Responditque dux, super cuius manū rex innitebatur, viro Dei & ait,
 si dominus fecerit etiam cataractas in cælo, an erit quod loqueris: quā
 ait, ecce videbis oculis tuis & inde non comedes. Cataractarum no-
 mine intellige fenestras. incredulus enim dux obicit pro-
 phetæ quod si etiā Deus faceret fenestras in cælo & plueret
 farinam ac ordeum, non verificaretur verbum Elisæi, pro-
 pter quod merito audiuit tunc futuram ipsius pœnam, quam
 postea passus est.

Quatuor autem viri erant leprosi iuxta introitum porta: qui
 dixerunt ad seinuicem, quid hic esse volumus donec moria-
 mur? Si ingressi fuerimus ciuitatem, fames est in ea &
 moriemur ibi: & si manserimus hic, moriemur. venite ergo & transfu-
 giamus ad castra Syrorum: si pepercerint nobis, viuemus, & si oc-
 cidere voluerint, moriemur. Surrexerunt igitur vespere vt venissent
 ad castra Syrorū: cūque venissent vsque ad principium castrorū Sy-
 rorum, neminem ibi reppererunt. Dominus autem audire fecerat ca-
 stra Syrorum sonitum curruum & equorum, sonitum exercitus ma-
 gni. Non imaginarius, sed sensibilis sonus magni exercitus

sensu auditus perceptus est: non falsus quo ad sonum qui auditu sentiebatur, quanuis quantum ad sensatum per accidēs exercitum curruum & equorū &c. fuerint decepti: quia merentur & decipi & terri vt fugerēt à meritis Elisæi quem nouerant & experti fuerant protectorem Israelis. *dixeruntque ad seinuicem, ecce mercede cōduxit aduersum nos rex Israel reges Gethcorum. Legēdum est. Chittheorum & reges Aegyptiorum ad veniendū contra nos. finitimos enim reges putauerunt conductos. Surrexerunt ergo & fugerunt in tenebris. Legendum est. in crepusculo. Intelligendo tamen crepusculum non diei, sed noctis. in principio enim noctis fugerunt, vt subiuncta testantur. Et reliquerunt tentoria sua & equos & asinos suos, castra secundum quod erant: fugeruntque, animas tantum suas saluare cupientes.*

Igitur cum venissent leprosi isti ad principium castrorum, ingressi sunt tentorium vnum, & comederunt & biberunt: tuleruntque inde argentum & aurum & vestes, & abierunt & absconderunt: & reuersi sunt & venerunt ad tētorium aliud, tuleruntque inde & abierunt & absconderunt. Dixeruntque ad seinuicem: non rectē facimus, hęc enim dies boni nunciū est & nos tacemus: si expectabimus vsque ad lucem matutinam, sceleris nos arguemur: nunc igitur venite & eamus & nunciemus in domo regis. Cūque venissent & clamassent ad portam ciuitatis, narrauerunt eis dicendo: inimus ad castra Syrorum & nullum hominem ibidem repperimus, nisi equos & asinos ligatos & fixa tentoria. Clamaueruntque portarū: & nunciauerunt in palatio regis intrinsecus. Qui surrexit nocte & ait ad seruos suos, iudicabo nunc vobis quid fecerint nobis Syri: sciunt quod fame laboramus, & idcirco egressi sunt de castris vt latitent in agris dicēdo, cum egressi fuerint de ciuitate capiemus eos viuos & ciuitatem ingrediemur.

*Respondit autem vnus seruorum eius & dixit: tollantur que sunt quinque equi qui remanserunt in ciuitate (quia ipsi tantū remanserunt in tota multitudine Israel, alii enim cōsumpti erāt) & mittamus & videamus. Adduxerunt ergo duos equos. Hebraicē habetur. Et tulerunt duos currus equorum. Ad differētiā curruum qui non trahebantur equis, dicitur currus equorum. *misitq; rex in castra. Hebraicē habetur. post castra Syrorum dicendo, ite & videte, hoc est misit ad videndum loca quę erant post castra Syrorum si laterent ibi Syri. Et inierunt post eos vsque ad Iardem: & ecce omnis via plena erat vestibus & vasīs quę proiecerant Syri**

cum

cum turbarentur. Legēdum est. festinantibus eis. proculdubio fugiendo, reuersiq; sunt nunciū & indicauerunt regi. Egressisque est populus & diripuit castra Syrorum: & fuit modus similes in stare vno & duo modū ordei in stare vno, iuxta verbum domini. Intellige mensuram & pondus vt diximus, & mensuram quidem alij vocant satum: pondus autem siclum seu seclum.

Porro rex ducem illū super cuius manū innitebatur, constituit super portā, conculcauitque eū populus in porta & mortuus est: sicut locutus fuerat vir Dei, quando descendit rex ad eum. Et fuit secundum quod locutus est vir Dei ad regem dicendo: duo modū ordei in stare vno, & modus similes in stare vno erit hoc eodem tempore eras in porta Someron. Et respondit dux ad virum Dei, & ait: etiam si dominus fecerit cataractas in celo, an erit quod loqueris? & dixit: ecce tu videbis oculus tuis & inde non comedes. Euenitque ei sic: & conculcauit cum populus in porta & mortuus est.

CAPVT. VIII.



Lisab autem locutus est ad mulierem cuius filium viuere fecerat dicendo: surge & vade tu & domus tua, & perigrinare vbicūque reppereris. Rependit propheta gratiam mulieri iam viduę: si enim maritus vixisset, nō illam, sed virū monuisset, vocauit enim dominus famem & venit.

Hebraicē habetur. & etiam venit super terrā septem annis. Verba sunt authoris, narrantis adimpletum fuisse verbum Elisæi & explicantis tempus famis: videlicet septem annos.

Quę surrexit & fecit iuxta verbum viri Dei: & abiit cum domo sua, & perigrinata est in terra Pelisithim diebus multis. Legendum est in terra Pelisithim septem annis, iuxta numerum annorum penurię. Et ex eo quod ipsa cum domo sua describitur iuisse, insinuatur quod ipsa erat caput domus: ac per hoc vt diximus vidua. In fine autem septem annorum reuersa est mulier de terra Pelisithim: & egressa est vt interpellaret regem pro domo sua & pro agris suis. occupatis vel à hęcico vel ab aliis. Rex autem loquebatur cum Ghechasi puero viri dei dicendo: narra quę sunt mihi omnia magalia quę fecit Elisab. Nisi Nahaman leprosus magnus apud regem Syrię obfaret, dicerem hoc colloquium fuisse antequam Ghezi esset leprosus: sed ab exemplo Nahaman incertus reddor tum de tēpore tum de rege, quis scilicet fuerit rex iste. Immo an hoc fuerit post mortem Elisæi: quod verius videtur ex eo quod si Elisæus vixisset, non

Q ij oportuit

oportuisset mulierem hanc venire ad clamandum coram rege, vt hebraica sonat litera. Elisæus enim aliàs ei obtulerat intercedere apud regem pro ea: vt superius scriptum est cap. 4. Cùmque ille narraret regi quomodo mortuum suscitasset, ecce mulier cuius viuificauerat filium clamans ad regem pro domo sua & pro agris suis: dixit Ghechazi, domine mi rex hæc est mulier & hic est filius eius quem suscitauit Elisah. Et interrogauit rex mulierem, quæ narrauit ei vera esse. Superfluit vera esse. narrauit enim mulier rem gestam, & non dixit sic est. Deditque ei rex eunuchum unum dicendo, restitue ei omnia quæ habebat & omnes fructus agrorum à die qua reliquit terram vsque ad præsens. Hinc coniectura fit quòd sico applicata fuerant bona istius mulieris tanto tempore absentis: vt pote habita pro derelictis. Et hoc fecit rex intuitu Elisæi: ita quòd & mortuus Elisæus profuit huic mulieri.

ET venit Elisah Damascum, ad exequendum iniuncta sibi ab Elia de regno Hazael super Syriam. & Ben' hadad rex Syriæ agrotabat: nunciatumque est ei dicendo, venit vir Dei vsque huc. Et ait rex ad Chazael: tolle tecum munera & vade in occursum viri Dei, & consule dominum per eum dicendo an viam de infirmitate hac? Iuit igitur Chazael in occursum eius, habes tecum munera & omnia bona Damasci, hoc est ex omni genere bonorum quibus floret Damascus. onera quadraginta camelorum: venitque & stetit coram eo & ait, filius tuus Ben' hadad rex Syriæ misit me ad te dicendo. Vide cum quanta reuerentia ethnici principes adeunt prophetam, si sanari potero de infirmitate mea hac? Hebraicè habetur, an viam à malo isto? Libra petitionem. Dixitque ei Elisah, vade dic ei sanaberis. Hebraicè habetur, vade, dic ei viuendo viues. Scito prudens lector dictionem hebraicam interpretatam ei, apud ipsos hebræos sonare vel ei vel non, prout diuersimodè scribitur: & vtroque modo ab eis legi hanc litteram, sed considerato contextu subiunctaque relatione Hazaelis ad suum regem, probanda est lectio affirmatiua, vade, dic ei viuendo viues. Et verum dixit respondendo ad interrogata: subauditur enim ex infirmitate ista. nam petierat an victurus esset ex ægritudine ista: & Elisæus respondit vade, dic ei viuendo viues, proculdubio quatum est ex parte ægritudinis. Et hoc non fuit falsum, quia non est mortuus ex ægritudine illa. porro ostendit mihi dominus. Parui refert quòd Hebraicè habetur, & fecit videre me Ichonah quòd moriendo

morie-

moriatur. Duo dixit, alterum respondendo ad quæsitum de vita ex ægritudine: alterum non interrogatus adiungit de regis vita absolutè, dicendo quòd morte morietur. Non dicit quòd morietur ex hac ægritudine, sed absolutè quòd morte morietur, Et hoc quoque fuit verum: quia mortuus est quæ citius occisus ab ipso Hazael. Et reuelauit Deus etiã hoc Elisæo, ne propheta eius appareret falsus. occiso rege tunc in lecto ægritudinis suæ. Nec manifestauit Elisæus Hazaeli quod ipse esset occisurus regem: sed dixit ei vt diceret regi quòd non morietur ex hac ægritudine, & quòd ipse Hazael sciret, quòd tamen aliter rex morietur. Stetitque cū eo & cōturbatus est vsque ad suffusionem vultus. Iuxta Heb. habetur. Et fecit stare faciem suam, & posuit donec tardauit, hoc est fixit Elisæus faciem suam, & sic fixam tenuit diu firmam: vt meditantes facere solent, huiusmodi enim tam fixio quàm mora describitur. stetitque vir Dei. Fletus ipse subsecutus testatur quid quasi raptus cōtēplatus fuerit Elisæus: videlicet futura mala populi Israel. Et forte illa immobilitas faciei cum tanta mora fuit diuinitus tunc facta ad reuelandum tunc Elisæo huiusmodi futura mala in specie. Et mora longior fuit: quia Elisæus tentauit supplicando Deo si posset reuocari hæc sententia aduersus etiam innocentes Israelitas, sed videns firmatam esse diuinam sententiam prorupit in fletum cōpansionis. Cui Chazael ait, quare dominus meus flet? & ait, quia noui quòd facturus sis filius Israel malum: munitiones eorum succendes igne & iuuenes eorum interficies gladio, & paruulos eorum allides, & pregnantés coram diuides. Dixitque Chazael, quid est enim seruus tuus canis vt faciat rem hanc magnam? Modus loquendi illius temporis est, ad significandum se infimum relatiue ad tam magnū opus. & ait Elisah, ostendit mihi dominus te regem Syriæ fore. ecce executio pro qua venerat, quæ præcepta fuerat Elia. nã ex iniunctione Elia Elisæus sic vngit Hazaelem in regem Syriæ. prædicta prius punitione Israelis idolatræ per eum iuxta reuelationem factam Elia in mote Horeb. Recepitque ab Elisah, & venit ad dominum suum: qui ait ei, quid tibi dixit Elisah? at ille respondit, dixit mihi, recipies sanitatem. Hebraicè habetur, viuendo viues. hinc enim apparet probanda lectio supradicta verborum Elisæi. Cùmque venisset dies altera, tulit stragulum & infudit aquam. Iuxta Hebræum habetur. Et fuit in crastino, & tulit puluinem & infudit illud in aqua, & expandit super faciem eius

Oo ij eius

cius & mortuus est. Manifestè describitur suffocatio regis ab Hazacle facta. Et modus suffocandi valde congruit tum ne vestigium aliquod violentæ mortis appareret: tum ne clamare rex posset, aqua cum puluinari superiecto tollente vocem. & regnavit Chazael pro eo. Ecce ratio suffocandi regem. & sic verificata sunt dicta Elixii.

Anno autem quinto Iorã filii Ach' ab regis Israel regnavit Iehorã filius Iehosaphat regis Iehudæ. Quæstiones duæ hinc priuntur. altera ex eo quod in calce primi capituli scriptum est de isto Ioram filio Ach' ab quod regnavit anno secundo Ioram filii Iosaphat: quomodo ergo modò Ioram filius Iosaphat regnavit anno quinto Iorã filii Ach' ab? Altera est ex eo quod in principio capituli tertii scriptum est Ioram filium Ach' ab regnasse decimo octavo anno Iosaphat. hinc enim sequitur quod Iorã filius Iosaphat non quinto, sed septimo anno Iorã filii Ach' ab regnavit: nã Iosaphat regnavit annis viginti quinque, ut in capitulo ultimo tertii libri scriptum est. Solutio utriusque, quæstionis consistit in distinctione modi regnandi. uterque, siquidẽ Iorã regnavit duobus modis: primò coregnando, deinde succedendo. Iorã enim filius Iosaphat coregnavit patri à decimo septimo anno paterni regni usque; ad vigesimū quintum: deinde regnavit succedens patri. similiter Ioram filius Ach' ab primò coregnavit Ochoziæ fratri decumbenti ob casum per cancellos à decimo octavo anno Iosaphat usque; ad vigesimū: deinde regnavit succedens fratri. Ex his enim patet in primis solutio primæ quæstionis: videlicet quod in primo capitulo fuit sermo de regno per modum coregnandi: & verè dictum est quod Iorã filius Ach' ab per modum coregnandi fratri regnavit anno secundo coregni Iorã filii Iosaphat. in hoc verò capitulo sermo est de regno successione; & supputatio fit e contra: videlicet quod anno quinto ab initio quo successit Iorã in regno Israel, successit Iorã in regno Iudæ. erat enim annus ille quintus, annus vigesimus quintus regni Iosaphat, quo mortuus est. Patet quoque solutio secundæ quæstionis: quoniã in capitulo tertio est sermo de regno Ioram filii Ach' ab per modum coregnandi, hic autem est sermo de regno per modum succedendi: & propterea quinque tantum anni supputantur usque; ad mortem Iosaphat. Filius triginta duorum annorum erat cū regnare cepit: & octo annis regnavit in Ierusalaim. Ambulavitque in via regis Israel, sicut fecerat domus A

ch' ab. hoc est in idolatria cultus Bahal quã introduxerat domus Ach' ab. filia enim Ach' ab. nomine Hathal' ia. fuit ei in vxore fecitque malū in oculis domini. Vxor regis Iudæ causa dicitur iniquitatum regis Iudæ. vxor enim idolatra facilè traxit virum ad idolotriam. Noluit autem dominus disperdere Iehudam propter David seruum suum: sicut dixerat ei quod daret ei lucernam, filiis eius omnibus diebus. Insuper hæc author ad insinuandum quod quavis peccata regis & consequenter populi mererentur destructionem, deus tamen propter Davidem non destruxit eos.

In diebus eius defecit Edom à Iehuda. Quavis deus abstinerit à destructione, puniuit tamen priuatione Idumæe quam possederant reges Iudæ à tempore Davidis. & constituit sibi regem. Hinc apparet quod superius diximus, non fuisse verum regem eum qui in capitulo tertio nominatus est rex Edom: ut ibi declarauimus. tempore enim Ioram incepit Idumæa iterum habere regem sicut habebat ante tempora Davidis. Transiitque Ioram in Sehir, & omnes currus cum eo. Eandem intellige regionem nomine Sehir & nomine Idumæe. surrexitque nocte, & percussit Idumæos qui eum circumdederant & principes curruum. Prudentia Ioram describitur, qua industria cum esset cum exercitu suo obsessus ab Idumæis se liberauerit: videlicet aggrediendo hostes nocte tanquam ex improviso: populus autem. Idumæus. fugit in tentoria sua. Et defecit Edom à Iehuda usque ad diem hanc. Victoria Ioram in campo non suffecit ad subiiciendum iterum Idumæam, sed libera à regibus Iudæ mansit. tunc defecit & Libna. ciuitas (ut aiunt) propinqua Idumæe. in tempore illo. Reliquum autem verborum Ioram & omnia quæ fecit: nonne ipsa scripta sunt in libro verborum dierum regum Iehudæ? Et dormiuit Ioram cum patribus suis, & sepultus est cum eis in ciuitate David: regnavitque Achaz' iahu filius eius pro eo.

Anno duodecimo Ioram filii Ach' ab regis Israel: regnavit Achaz' iahu filius Iehoram regis Iehudæ. Filius vigintiduum annorum erat Achaz' iahu cum regnare cepit. Quæstio de ætate huius Ochoziæ cum incepit regnare, tractanda est in. 2. parali. cap. 2. 2. vbi dicitur oppositum. & anno vno regnavit in Ierusalaim: & nomẽ matris eius Hathal' iahu filia Homri regis Israel. Quæstio oritur ex eo quod in hoc eodem capitulo ista dicta est filia Ach' ab. Solutio est quod fuit filia naturalis Homri patris

Ach'ab: ac per hoc soror ipsius Ach'ab. superius autem nominata est filia Ach'ab, quia tanquam filia ab ipso Ach'ab alita fuit: & præcipue quia quatenus causa idolatriæ mariti sui, erat filia Ach'ab. traxerat enim maritum ad cultum Bahal quem Ach'ab introduxerat. Et ambulauit in via domus Ach'ab, & fecit malum in oculis domini sicut domus Ach'ab: gener enim domus Ach'ab fuit. Non dixit, gener enim Ach'ab: sed dicendo gener domus Ach'ab, manifestat vxorem Ochoziæ fuisse de domo Ach'ab. ad hoc enim subiuncta hæc verba sunt vt intelligeremus quod mater eius procurauit quod filius haberet vxorem e domo ipsius matris, vt plenius dominaretur ipsa mater.

Abit quoque cum Ioram filio Ach'ab ad bellum contra Chazael regem Syria in Ramoth Ghilhad. Superfluit præpositio cũ, quanuis secundum historiam verum etiam sit Ochoziã iuisse cum Ioram: vt paralipomenon testatur. & vulnerauerunt Syri Ioram. Qui reuersus est, relicto exercitu in Ramoth Ghilhad, vt curaretur in Iizrebel à vulneribus quibus vulnerauerunt eum Syri in Rama dū pugnaret contra Chazael regem Syria: porro Achaz, iahu filius Iehoram rex Iehuda descendit ad videndum Ioram filium Ach'ab in Iizrebel. diuino iudicio deducente eum vt occideretur propter idolatriam cum ipso Ioram rege Israel & vniuersa domo Ach'ab: siquidem & ipse ex domo Ach'ab natus erat ex parte matris. quia ipse ægrotabat.

CAPVT IX.

Elisah autem propheta vocauit vnum de filiis prophetarum, & ait ei: accinge lumbos tuos & tolle lenticulam olei hanc in manu tua, & vade in Ramoth Ghilhad. Ne ponderes lenticulæ nomen: quoniam hebraice vasculum solitum ad gestandum oleum absque figura tam lentis quam alia quacunq; significatur. Cũque veneris illuc, videbis Iehu filium Iehosaphat filium Nimsi. Mittit Elisæus ad exequendum aliud iniunctum sibi ab Elia: vnctionem videlicet Iehu in regem israel. ingressusque suscitabis eum. Iuxta Hebræum habetur. facies surgere eum de medio fratrum suorum. prædicit enim quod inueniet eum sedentem inter amicos (quos fratres vocat) & mandat vt faciat eum surgere. & introducas ad cubiculum in cubiculo. Consultit suo nuncio Elisæus mandando vt nō publice, sed in loco secreto vngat in regem Iehu:

hu: ne videlicet aliquid nocuenti inferretur illi, vtpote contra domum regiam agenti. Tollésque lenticulam olei & fundes super caput eius: & dices, sic dixit dominus, vñxi te in regē super Israel. Ex tribus vnctionibus mādatis à Deo Eliæ, hæc sola legitur impleta in forma vnctionis: nam neque Elisæus ipse neque Hazael vnctus vnquam legitur. aperiesque ostium fugies & non expectabis. Supradicta ratione hæc mandantur.

Abit ergo adolescens puer propheta. Hebraicè habei. Et iuit puer, puer propheta in Ramoth Ghilhad. Nomen pueri apud hebræos valde extenditur: nam & milites pueri vocantur. Iuuenis itaque erat iste discipulus prophetarū, non quicumque, sed minister propheta Elisæi. cuius nomen nescitur: quanuis Hebræi dicant hunc fuisse Ionam prophetam. Ingressusque est, & ecce principes exercitus sedebāt, et ait, verbum mihi ad te dō princeps. Et dicitque Iehu, ad quem ex omnibus nobis? & dixit, ad te dō princeps. Et surrexit & ingressus est in domum, & fudit oleum super caput eius: dixitque ei, sic dixit dominus deus Israel, vñxi te in regem super populum domini, super Israel. Et percussit domum Ach'ab domini tui: & vlciscar sanguinem seruorum meorum prophetarum & sanguinem omnium seruorum domini de manu Izebel. Non addidit puer hæc de percussione domus Ach'ab ex se ipso, sed Elisæus mandauerat ei vt hæc subiungeret: & propterea voluit in loco secreto hæc dici contra Ioram regē Israel. Et in hoc aperitur finis quare deus elegerit ipsum Iehu in regem: videlicet ad exterminandum domum Ach'ab. Et hinc absque peccato Iehu interfecit vniuersam domū Ach'ab: diuina enim autoritate fultus erat. Profuit quoque hæc reuelatio ad hoc vt credibilis fieret hæc propheta, sciebant enim scelera domus Ach'ab & crudelitatem eorum aduersus seruos Dei: consentaneūq; rationi erat vt deus vnctionem mandaret. Peribitque tota domus Ach'ab & excidat de Ach'ab mingerit ad parietem, & clausum & nouissimū in Israel. Iuxta Hebræum. & reuerit & derelictum in Israel. vt enim plures iam expositū est, extenditur propheta diuinæ vnctionis etiā ad populum Israel inchoando ab iis qui sunt in frequentia hominum vsque ad eos qui pro derelictis habentur. Nec hanc vnctionem dicit efficiendam à Iehu sed ipse deus prædicit se facturum. & dabo domum Ach'ab sicut domum Iarobham filii Nebat: & sicut domum Bahase filii Ach'ie. vtræq; enim istæ familiaræ regiarū (videlicet Ierobham & Bahasæ) diuino iudicio exinctæ

extinctæ fuerant gladio: quibus addita est tertia domus Ach'ab. *Izrebel quoque, relictam Ach'ab quæ fuerat causa omnium malorum. comedent canes in agro Izrebel, & non erit sepe- liens: aperuitq; ostium & fugis.*

Iehu autem egressus est ad seruos domini sui. principes exercitus à quorum confesso recesserat. *qui dixerunt ei, recte sunt omnia?* Hebraicè habetur. *num pax?* pace enim bona significant. *cur venit insanus iste ad te?* Verificatur scriptum in sapientia, nos insensati vitam illorum æstimabamus insaniam. nam insanum appellant discipulum prophetarum, eo quod profiterentur prophetarum filii futuræ vitæ studium vacando diuinis laudibus. *qui ait eis, noſtis virum.* Quia ille discipulus prophetarum minister erat Elisæi optimè noti in regis curia, ideo dicit, noſtis hominem: utpote qui vidistis eum cum Elisæo. *Et quid locutus sit.* hoc est & consequenter noſtis quid dixerit, puta congruentia sibi. *Et dixerunt, falsum est.* non primum, sed secundum. unde & subiungunt. *Indica quæso nobis, quid dixerit, qui ait eis: hæc & hæc locutus est mihi.* Intellege vniuersam suprascriptam prophetiam comprehendendi ab authore sub aduerbiis sic & sic: quæ interpres vertit in pronomina non semel aut sæpe, sed infinities. *Et ait, sic dixit dominus, vñxi te in regem super Israel. Festinauerunt itaque & tulerunt vnusquisque pallium suum, & posuerunt sub pedibus eius in similitudinem tribunalis.* Iuxta Hebræum habetur. *sub eo in osse graduum.* Per ossa graduum, sustentantia gradus significantur tecta vestibus ad ornatum in honorem noui regis sedentis in summitate illorum graduum: ut per hoc intelligeremus vniuersos gradus opertos vestibus. *Et claxerunt tuba, atque dixerunt, regnabit.* Legendum est, *regnauit Iehu.* acclamatur enim iam institutus rex.

Coniurauit ergo Iehu filius Iehosaphat filii Nimsi contra Ioram. Ne putarentur ludicra gesta hæc, inscribitur cõiuratio Iehu cū principibus exercitus cõtra Iorã regem Israel: deus enim operabatur in animis eorũ. Nec coniuratio ista fuit cõiuratio mala: quoniã Iehu iam diuina autoritate institutus erat rex cum mandato aduersus domum Ach'ab, cuius filius erat Ioram rex Israel. porro Ioram obsederat Ramoth Ghalahad ipse & omnis Israel, contra Hazael regem Syriae. Iuxta Hebræum habetur. *Et Iorã fuit custos in Ramoth Ghilhad ipse & omnis Israel, à facie*

à facie Chazaelis regis Syria. Iunge prudens lector isti literæ tũ suprascripta de aduentu pueri in Ramoth, & ingressu in internum cubiculum, & de gradibus, tum subiuncta paulo inferius verba Iehu (videlicet quod non egrediatur aliquis ex ciuitate) & perpendes præsupponi in hac historia ciuitatem Ramoth fuisse tunc ipsius regis Israel: & propterea scribi quod Iorã rex Israel fuit custos in Ramoth Ghalahad à facie Hazaelis attentantis capere ciuitatē ipsam, bellum enim defensionũ ipsius ciuitatis significatur dicendo & fuit custos in Ramoth à facie regis Syriae: nisi enim ciuitas fuisset tunc regis Israel, nequaquã cauisset Iehu ne aliquis egrederetur e ciuitate ad annũciandum Iorã regi Israel. Quando autē Ioram recuperauerit ciuitatē Ramoth, non est scriptum: rationi tamen consentaneum est, ut occiso Ben'hadad rege Syriae, vacante Hazaele ad occupandum regnum, Ioram recuperauerit ciuitatem Ramoth. *Et reuersus fuerat Iehorã rex ut curaretur in Izrebel à vulneribus quibus vulnerauerant eũ Syri cum pugnaret cõtra Chazael regem Syriae.* Quãuis nõ perdidit ciuitatē Ramoth, vulnerat⁹ tamē fuit ibidē in bello defensionis: & relicto exercitu ibidē ad custodiã ciuitatis, reuersus est in Izrebel ut curaretur à vulneribus. *Et dixit Iehu, si est voluntas vestra nemo egrediatur profugus de ciuitate.* Parui refert quod Hebraicè habetur. *non egredietur euasor e ciuitate ut vadat ad annũciandũ in Izrebel.* Sciebat, n. non posse esse quin aliquis amicus regis Iorã annũciaret ei si liberũ haberet egressum e ciuitate: & propterea tanquã euadens ex coniuratione eorũ timetur aliquis egrediens e ciuitate. Et hinc (ut dictũ est) patet quod ciuitas erat ipsius regis Israel. *Et ascendit.* Hebraicè habetur. *Et equitauit Iehu.* ut celerius iret. *Et pfectus est in Izrebel: Iorã. n. decubebat tibi, et Achaz'iah rex Ichuda descēderat ad visitandũ Iorã*

Speculator autem stabat super turrim in Izrebel. Tẽpus enim belli inter Ioram & Hazaelem exigebat speculatorem. *Et vidit globũ Iehu venientis, & ait, ego globũ video: dixitq; Ioram, tolle currum.* Iuxta Hebræum habetur. *tolle equitem.* nulla fit mentio currus, & mitte in occursum eorũ, & dicat, recte sunt omnia? Iuxta Hebræũ habetur. *nũ pax?* More solito loquũtur. *Abiit igitur qui ascenderat currũ.* Hebraicè habetur. *equitator equi. velocior curru. in occursum eius: & ait, sic dixit rex pacatane sunt omnia?* Lege ut supra. *nũ pax?* timebat. n. ne esset globus hostiũ. *dixitq; Iehu, quid tibi & paci? gira post me.* Nõ respõdet regi, sed nuncio

nuncio, non tua interfuit pax aut bellum, sed sequere me. *nunciauitque speculator dicendo, venit nuncius usque ad eos & non reuertitur. Et misit currum equorum secundum. Hebraicè habetur, equitatorem equi secundum. Et similiter corrige subiuncta. venitque ad eos & ait, sic dixit rex num pax? dixitque Iehu, quid tibi & paci? gira post me. Nunciauitque speculator dicendo, venit usque ad eos & non reuertitur: est autem incessus. Rectius legeretur, ducatus. nam de toto globo loquitur, nec discernerebat incessum vnus, sed totius globi: & propterea ducatum globi furiosum videns diuinauit quod esset ducatus Iehu, soliti ducere globum suū furiosè. Legendum est ergo & ducatus sicut ducatus Iehu filij Nimfi, quia furiose ducet. hoc est quia furiosè perseuerat ducendo.*

Dixitque Iehoram, iunge currum, & inuixit currum eius: & egressus est Iehoram rex Israel & Achaz' iahu rex Iehude vnusquisque in curru suo, & egressi sunt in occursum Iehu, & inuenerunt eum in agro Naboth Iixrebelitæ. Vide diuinæ prouidentie factum mirabile. Cùmque vidisset Iehoram Iehu, dixit, pax est Iehu? Hebraicè clarius habetur, num pax Iehu? Vere excecatus rex apparet, adhuc querendo non pax? & dixit, que pax? adhuc. Legendum est, que pax donec fornicationes I'zebel matris tuæ. impossibile est quod sit pax in Israel quandiu durat multitudo scelerum matris tuæ. Et verum dixit iuxta dicta prophetarum Eliæ & Elisæi. Fornicationes autem multiplicatam idolatriam appellat: eo quod in sacris literis idolatria appellatur fornicatio animæ cum iis qui non sunt dij, ad instar mulieris fornicantis contra ius matrimonii: sic enim animæ fornicantur contra ius Dei, & veneficia eius multa vigent. Legendum est, & maleficia eius multa. Et verè maleficia I'zebel accusantur post illius idolatrias: quia mala multa & magna fecit seruis Dei & innocentibus ex sua idolatria & mala voluntate & sortilegiis, à quibus maleficia nominantur. Vertit autem Iehoram manum suam & fugit: dixitque ad Achaz' iahu, insidia Ochozia. Hebraicè habetur, dolus Achaz' iahu. Dolum iudicat: & verè nisi diuina affuisset authoritas. Porro Iehu impleuit manum suam arcu: & percussit Iehoram inter scapulas. Hebraicè habetur, inter brachia eius. in loco magis propinquo cordi. & egressa est sagitta per cor eius: statimque corruit. Hebraicè habetur, & genuflexit in curru suo, hoc est super genua cecidit in ipso curru. Dixitque Iehu ad Badacher ducem. Legendum est, ad Bid-

car ducem suum. Ducis nomine intellige quemcunque principatum: erat enim iste vnus ex principibus exercitus qui cum eo coniurauerat. Tolle, proice eum. Legendum est, fac proicere eum, proculdubio per ministros, in partem agri Naboth Iixrebelitæ: memini enim quando ego & tu sedentes in curru sequebamur Ach' ab patrem huius. Iuxta Hebræum habetur, equitantes pares post Ach' ab patrem eius, sed interpreti valde amicus fuit currus, quod dominus onus hoc leuauerit super eum. Iuxta Hebræum habetur, & Iehouah eleuauit super eum eleuationem istam. Quia exaltatio diuinæ iustitiæ est puniitio iniquorum, ideo de vindicta hac dicitur quod eleuauit dominus eleuationem istam quando prophetata fuit per Eliam. Si non pro sanguine Naboth & pro sanguine filiorum eius quem vidi heri dici dominus. Legendum est, Si non sanguines Naboth & sanguines filiorum eius vidi respere dixit Iehouah, & reddam tibi in agro isto dixit Iehouah. Verba fuerunt Eliæ ad Ach' ab postquam occiderat Naboth. Commemoratur autem hic occisio filiorum Naboth, tacita in libro tertio. Nec est quærèda ratio legis: quoniã tyrannicè occisi sunt vt filius succederet in agro Naboth. Quod autè dicitur ad Ach' ab: reddã tibi in agro isto Naboth, nõ fuit adimpletũ in persona Ach' ab, sed filij eius Totã regis: quia prænitente ipso Ach' ab transfudit deus vindictam prophetatam in filium: vt in calce capituli vigesimisecondi, tertii libri scriptum est. nũc igitur tolle, fac proicere eum in agrum iuxta verbum domini, translatum in filium Ach' ab.

Achaz' ia autem rex Iehude videns hoc, fugit per viam domus horti: persecutusque est eum Iehu & ait, etiam hũc percussit in curru suo. Superfluit suo. Quia non poterat comprehendere eum, mandauit vt sagittis impeterent fugientem. erat enim etiam Ochozias de domo Ach' ab ex parte matris: & propterea merito percuti iubetur à Iehu destinato ad exterminium domus Ach' ab. & percusserunt eum. Iste tres dictiones non habentur in hebræo: sed immediatè sequitur, in ascensu Gur que est iuxta Iibleham. Locus describitur usque ad quem persecutus est Iehu Ochoziam: an autem fuerit tunc percussus, scriptum non est. & fugit in Megiddo, euasit ergo tunc. Megiddo autem regia ciuitas olim fuerat: vt legitur Iosue duodecimo. & mortuus est ibi. Tacentur hic tria præcedentia mortem Ochozie: videlicet quod latuit in Samaria, & quod adductus est ad Iehu, & quod Iehu interfecit eum. hæc enim tria scribuntur